



M. h. 286<sup>u</sup>

nicht verheiratet  
nicht PK

1) Ringsius, Joh.

nebst 21 - 40)

(No. 31 enthält  
allein 20 Disputationen)

2 mit Widmungen  
an Ludolph!



DISPUTATIO MEDICA

*De*

ARTHRITIDE,

*Quam*

*Fona duce & auspice*

SUB PRAESIDIO

D. IOANNIS SIGFRIDI,

Phil. & Med. D. Senioris & Profess. in Illu-

striss. Academ. IULIA Ordinarij,

&

Colleg. Med. pro tempore Decani

spectabilis,

&

Promotoris.

*Mc 286a*

*Pro consequendis insignib. & Privileg.*

*Doctoralib. in arte Medica,*

Examinandam proponit

*o. Septembr.*

MARTINVS GOSKIVS

L. SILESIVS.

HELMAESTADI,

Ex Typographeio IACOBI LVEI,

ANNO clō 1ō cXII.





VIRIS  
*Reuerendis, Magnificis, Nobilissimis & Clarissimis,*  
**D. DECANO SENIORI ET**  
**CAPITVLARIB. ECCLESIAE**  
Cathed. Havelberg.

NEC NON  
*Viris Magnific. Strenuis & Nobiliss.*  
**D. BURCKHARDO à SALTERN,**  
Hæred. in Wilsnack/ Plattenburg/ &c.

**D. ACHATIO à IAGOVV,** Hæred.  
in Awlosen/ Bichtenhagen/ &c.

**D. CAPITANEO LEVINO LVDOL-**  
**PHO** von der Schulenburg/ Hæred. in Bee-  
zendorff/ Scharffenhoff/ &c.

**D. DIETTERO & CASPARO** von Kling-  
hing/ fratrib. German. Hæred. in Dammarchin/  
Walpleben/ &c.

**D. IOACHIMO** von der Gräben/ Hæred.  
in Dabergo/ &c.

*Deniqz*  
*Viris Ampliss. Clariss. & doctiss.*  
**D. CONSVLIB. & SENATORIB.**  
Reipub. Havelbergens.

*Dominis Patronis meis omni*  
*obseru. cultu colendis*

D. D. D.

MartInVs GoskIVs DoCtor.





## THESIS I.

**S**I sanitatem amissam restituere lubet, omnium eorum, quæ vim naturæ inferunt, ferocia retundenda, oppugnanda, expugnanda; *Heurn. 3. prax. 5.* & extremis morbis extrema remedia adhibenda. *Hip. 1. aphor. 6.*

Siquidem malo nodo malus cuneus quaerendus. *Heurn. lib. 1. præf. met.* Operæ pretium ergò me facturum confidam, si dolores & cruciatus articulorum grauissimos, immanissimos, qui Palemonem Sophistam tam misere habuerunt, ut sibi ipsi mortem inferret, quamuis difficillimè medicamentis cedant: ut certè satius sit, prohibere ab initio, ne inutilis congeratur humor, docente *Gal. 2. de Fac. nat. c. 8.* quam sollicitum, & occupatum esse, de vacuando: cum præseruatio tantum præstet curatione, quantum sanitas morbo: curâ legitimâ retundere oppugnare & expugnare, cognita eorum natura, in præsentia attentauero.

2. Articulorum autem dolorem ab articulis, qui afficiuntur, & arthritidem  $\lambda\pi\omicron\tau\omicron\varsigma$   $\alpha\epsilon\rho\tau\epsilon\varsigma$ , quam Barbari impropriè guttam dixere, dicimus. Ex cuius genere sunt affectis locis duntaxat differentes. *Gal. 10. de compos. medic.* Podagra, quæ articulos pedum, chyagra, quæ articulos manus  $\chi\omicron\gamma\iota\alpha\varsigma$ , & Schiatica, quæ coxendicem, & extrema secundum ductum nervorum affligit. *Paul. c. 77.*

3. Vnde arthritidis communiter sumpta definitur articulorum dolor, ex interuallo affligens, exortus à subitaneo, & improviso influxu humoris, ob debilitatem laxa, vacuaq; spacia, eorum replentis, partes nervosas diuellentis, comprimentis & alterantis.



4. Partem quippe affectam asserimus articulum, totum scil. compositum ex ossibus, ligamentis, cartilaginibus, tendonibus &c. quamuis partibus neruosis, vt sunt membranæ, *Gal. 2. de loc. aff. c. 4.* tendines quibus adduntur nerui & cutis, sensum tantum ascribamus. *Paul. c. 78. lib. 3.*

5. *Προκαταρκτησίνων* causas arthritis tum procatarticas, tum *προκαταρκτησίνων* numero hanc excitare possunt, sex res non naturales, modum excedentes, vt subitæ mutationes in calore, frigore, & flatibus austrinis, subsequens. aquilonijs, intemperie aëris autumnali: Exercitia corporis in lucta & certaminibus validiora, præsertim à cibo, Equitatio assidua, quæ pedibus fit pendulis, aut non firmiter stapedibus innixis. Somnus pomeridianus, & lucubrationes præposteræ, quæ cibos crudos & inconcoctos relinquunt. *Hip. 2. de vict. acut. pag. 56. Gal. 2. aphor. 70. Auicen. in 3. doct. 2. c. 3.* Exercitiorum consuetorum intermissio, & sanguinis aliarumq; euacuationum consuetarum, quæ per vrinas & sudorem maximè fiunt, suppressio, aut diminutio, frequentia balnea, ira, subita mentis consternatio, & alij animi motus vehementiores, alimenta quoq; quæuis biliosa, nitrosulphurea, tartarea, & fuliginosa & præcipuè lætitiæ Bacchus pater & dator Sauanarol. *tract. 2. c. 9. Rubr. 2. cui succedit Venus petulca, pendula & immoderata, præsertim in senibus. Auicen. lib. 3. Fen. 13. tract. 1. c. 30.*

7. *Προκαταρκτησίνων* rationem habet continui solutio, ex affluxu materiæ, quæ quatenus partes distendit, replet, vel alia ratione dilacerat, & molestat, dolorem excitat acerbissimum, *Gal. 6. aphor. 49.* Ex affluxu enim materiæ ad articulum replentur & tenduntur, potissimum membranæ & ligamenta, & simul Aëtio teste permadescunt, nerui verò, & tendines comprimuntur, & à vicinis partibus tantum diuelluntur, quia arthritici nunquam visi pati conuulsiones. *Gal. com. aphor. 49. lib. 6.*

7. Cum



7. Cum affluxu materiæ vitiosæ, concurrit etiam causa morbifica, articulorum, nempe impotentia, quæ mutuam sibi adinuicem præstant operam, vnde hæc patientis, illa agentis munus subit. *Gal. com. 25. aphor. 4.* Natiua autem impotentia succrescit ex primæua structura, & conformatione articulorum, quæ laxiores ampliores, & molliores, & ea ratione ineptos ad motum effecit. *Ludou. Mercat. lib. 4. de intern. morb. curat.* Contrahitur etiam interdum hæreditario malo à parentibus, plerumq; ab aduentitijs causis, *Thesi 4. & sequentibus explicatis. Donat. ab Altomar. de med. hum. corp. malis.*

8. Materia verò cumulatur per influxionem, cum malum non sensim sed confertim existat: quanquam circa articulos aut interiecta spacia, sine vestigio tumoris per congestionem, materia etiam coaceruari soleat, vnde acerrimus & constans dolor periostij, qui noctu potissimum ingrauescit, cuius ratio non est, quam reddit *Paræus lib. 18. c. 4.* quod tepor lecti virus excitet, & cogitatio non distracta dolorem incendat, quoniam cum hæ rationes locum habeant, in omni dolore, sequeretur, quod omnis dolor, noctu exasperari deberet, & patiuntur dolorem, etiamsi in lecto se non defodiunt, sed potius illa quam reddit *Claudinus conf. 80.* quod noctu potissimum conclusam noctis frigiditate materiam naturæ expugnatura agitet & perturbet, quemadmodum dolores nephriticos eadem de causa ieiunis exacerbari experimur: Sed hic dolor non arthritidi, sed morbo Hispanico, seu Pudentagræ familiaris est.

9. Deinde corporis eiusque partium intemperiem & constitutionem variam, ex qua varij, diuersiq; humores generantur, vt si hepate calidissimo, frigidus & imbecillis inueniatur ventriculus, antecedentem causam probamus. A qua pendebit coniuncta, quam cum *Galeno de loc. aff. Auicen. lib. 2. tract. 7. c. 2. Aegineta lib. 3. c. 78. Hip. lib. de inter. affect. alijsq;*



Neotericis ponimus quemuis humorem crudum præternaturaliter ad articulos confluxum, continuum soluentem; non tamen simpliciter purum sed mixtum, quod probant varij tumorum colores, dolores diuersi, accidentia varia, terminus declinationis non vnus ac rursus curandi ratio, varijs modis instituenda, ex necessitate diuersitatis causæ. *Mercat. de inter. morb. curat. lib. 4. p. 3.* Quis enim cum Fernel. pituitoso & feroso humori hæc omnia ascribere velit? Cum interdum etiam ingens dolor, calor, rubor, febris continua, aliaq; symptomata, iuuenibus natura calidis ac biliosis arthritide æstate laborantibus obuenant? nec frigidi & crassi humores sub propria forma angustos meatus permeare valeant, nisi admiculo bilis flauæ, quam scimus faciliter propter tenuitatem discuti, reliquum verò humorem illapsum crassescere & indurescere, ac nonnunquam in callos seu tophos, calculosq; abire. *Holl. lib. 1. de morb. inter. exerc. 63.*

10. Porro partem mandantem cum Fernelio *lib. 6. de sympt. c. 18.* non contendimus semper esse pericraneum, sed interdum esse totum caput, cum plerunq; è capite destillationes originem trahant, frequentissimè iecur, interdum lienem ventrem, vterum renes, & omnia viscera, aut totum corpus. Vnde etiam viam per quam fluit, comprobamus esse, aut inter carnem aut cutem, aut continuitatem muscutorum membranarum, neruorum &c. aut ipsas venas & arterias, quæ ante doloris accessum tument & turgent: hinc in Plethoricis Phlebotomias profuisse obseruauimus, quod non eueniret, nisi materia per venas influeret. Et Galenus *com. 6. epid. sect. 4.* ex dysenteria aut Diarrhæa intempestiuè suppressa: aut ex Colica conuerso humoris impetu per venas ad articulos, item ex nephritide pituita à renibus ad articulos demissa, ex suppressione hæmorrhoidum, & ex obstructione mensium in foeminis &c. arthritidem ortam fuisse testatur.

II. Humo.



11. Humoris fluxus concitatur, vel à facultate expultrice mandantis, aut attractione recipientis. Pars enim mandans, irritata qualitate aut copia humoris, sua vi expultrice prædicta excrementa à se propellere conatur, ad partes magis debiles, & hævicissim ad debiliores. Attrahit verò pars recipiens, aut ob calidam intemperiem, aut ratione doloris, quatenus partes vicinas commouet, vt Spiritum cum sanguine ad partem dolentem effundant, quem motum promouent humoris fluxibilitas, & viarum patentia & laxitas. Proinde & à capite defluxionem demonstrant, capitis grauitas & ceruicis: crapula antegressa aërisq; inclementia, quin & tumor & dolor ad occipitium contactu ingrauescens. A venis verò magnis internis, febricula cum inæqualitate, dolor vagus, &c.

12. Notata parte mandante sub initio fluxionis, ex partibus affectis notabimus etiam qui humor potissimum corrumpatur, & peccet, tum ex signis ex quibus *Gal. in art. paru.* temperamenta aestimat, tum ex colore, ex iuuantibus & lædentibus, & qualitatibus cæteris.

13. Sanguis enim in temperamento sanguineo, ætate iuuenili tempore vernali, & ex vsu præcedente alimentorum boni succi, tumorem producit ingentem, dolorem pulsatorium, colorem rubeum, & vrinam rubeam, pulsum plenum, accessiones quotidianas, minus tamen diuturnas, quàm à pituita. A bile tempore æstiuo nullus ferè euidens tumor, cuius color vergit ad flauedinem, multi tamen caloris sensus adest, qui punctione & erosione potius, quam tensione partem affligit, exasperationes tertio quolibet die & à calidis faciens. Vtrisque non raro coniungitur febricula ex sanguine continuæ, ex bile tertianæ, aut hecticæ formam imitans.

14. Pituitam arguit in temperamento frigido & humido, tempore hyemali, & ex vsu refrigerantium, humectantium,



tium, ac inspissantium, tumor sublaxus existens & tactui cedens, color subalbidus, dolor exiguus cum tensione & gravitate, vrina pallida, deiectiones mucosæ, exacerbationes quotidie diuturniores. Quemadmodum, si atra bilis in causa fuerit (quanquam raro id contingit) innotescet ex temperatura Melancholica tempore autumnali: dolor profundus, perforatius percipietur, color verò ad liuidum seu plumbeum verget, exacerbationes quoq; quarto die redibunt cum frigoris sensu obtuso.

15. Ex complexu prædictorum humorum si fluores fiunt, quamvis ægrè dignoscantur, & difficulter medicamentis elidantur, imò nullo ferè remedio sanescant, teste Paulo, ex signis tamen iam expositis siue ex iuuantibus, & lædentibus, siue etiam ex effectis, quemadmodum etiam flatus cum humore si coniungantur, conijciuntur, licet hoc proprium flatus habere videantur quod facile locum mutant, facileq; per auxilia appropriata dissipentur. Notandum insuper, quod Platerus cum Ambrosio Paræo ex symptomatum sæuitia, si dolor, nullis cedens medicamentis diu noctuq; infestet, ita ut ossa exedantur, & corrodantur malignitatem accuset.

16. Prognostica variant, lethale tamen hoc symptoma non pronunciant, nisi propter doloris acerbitatem vires deiciat, vel ab imperito Medico humor à parte ignobili repellatur, iterum ad partes internas. Quibuscunq; ergò morbi Podagrici fiunt, ij sedata in 40. diebus inflammationem finiunt, *Hipp. 6. aphor. 40.* Nos pro quantitate & qualitate materiæ, pro articuli differentia, situ, robore, aut imbecillitate, dolores solui, aut protrahi posse prædixerimus. Qui tophi seu calli appellantur, postquam in podagra producti fuerint, ne speraueris ad pristinam constitutionem exactè articulum redire posse. *Gal. 10. de comp. med.* Eunuchi neq; calui fiunt, neq; podagra laborant. *Hip. 6. aphor. 28.* Mulier podagra non laborat, nisi



uifi menstrua defecerint, 6. aphor. 29. Puer podagra non laborat, ante vsum Venereum, 6. aphor. 30. dolores Podagrici vere & autumnno magna ex parte mouentur. Hip. & Gal. 6. aphor. 45.

17. Curatio aggredienda à causa arthritidis, ab humoris nempe redundantis ablatione, vnde indicatio sumitur eam auferendi Imbecillitatem enim articulorum corrigendi prophylacticam seu præcautoriam curationis partem potius (de qua hic temporis angustia decepti non agemus) quam curatorem spectare erudimur. Cum autem humoris non tam fluxi quam fluentis & fluxuri cura sit habenda, diuersi nobis curandi offeruntur scopi: fluentes enim reuellimus fluxuros euacuamus, fluxos verò, veram causam continentem morbificam auxilijs tribus è Methodo medendi petitis. Diæta, pharmacologia & chirurgia, obseruatis causarum differentijs ex signis præcedentibus repetitis, abolemus & resoluimus.

18. Quare in arthritide aër generaliter sit purus & temperatus pro diuersitate causarum ad certam qualitatem vergens, vt plurimum tamen declinet ad siccitatem: Alimenta adhibeantur parcissima, concoctu facilia, nunquam vaporosa. Potus sit cereuisia benè cocta & lucida, aut aqua in qua parum cinamomi, anisi &c. decocta fuerit, exercitium tempore fluxionis nullum imperetur, serium malo quiescente. Somnus moderatus concedatur & animi perturbationes in fugam conijciantur, Venusq; inimica exulet. *Aërius lib. 2. c. 20.*

19. Respectu humorum peccantium arthritidi à sanguine competit cibus refrigerans & exsiccans, minimumq; nutriens, & subducta aluo blandiori pharmaco phlebotomia: Incidimus autem venam vel brachij dextri vel sinistri interdum cruris, poplitis, Saluatellam &c. pro vt affectus hanc vel aliam partem occupat. Imò si dolor totum corpus obsederit, ex illo membro, quod minus dolet, sanguinem copiosum

B

sum



sum fundimus. Sanguis enim inflammatus in bilem vertitur,  
& serosos humores acriores reddit. *Cels. lib. 4. c. vli.* Phlebo-  
tomix vicem interdum supplet alij sanguinem educendi  
modi, de quibus *Altim. de Med. hum. corp. mal.* Postea ex usu  
sunt Topica Embrocationes, quæ inflammationem tollunt,  
materiam repellunt, discutunt &c. In principio tamen con-  
ueniunt magis refrigerantia, vt sunt Ol. Ros. Nenuph. Lac,  
Succ. Citrul. Mandrag. Portulac. Hyosciami, Mucillag. Psyll.  
cum album oui &c. In augmento verò discutientia & diffi-  
pantia Ol. Camomel. Liliac. Sem. Lini fænugr. In statu so-  
lum moderatè discutientia, vt farin. hordei. fabac. adeps  
gallin. Ol. Laurin. Simila cum Croc. &c.

20. Bilosam arthritidem victus ratione causæ contraria  
instituta & acrimonia bilis prius correctæ Syr. de Cich. vel  
ex infus. Rosar. &c. dissolut. in Aq. approp. retundimus Cho-  
lagogis primò leuioribus, vt Catholico, Cassia Syr. Ros. sol.  
&c. postea fortioribus vt Diacarth. Elect. de succ. Ros. reli-  
quias verò partim per diuretica partim per diaphoretica ex-  
stirpamus, vt Sal. Cardobened. volat. absinth. gratiol. & ex  
capital. cat. educus Item Sal. Tartar. antimon. fix. ad ci-  
endos, sudores qui eximius, pro facultate agrotantium. Nitr.  
sulphurat. (quod & anodynū) propinat in approp. aut in aq.  
limpida Antimonij, ex corpore eius toto crudo, quæ elicitur,  
quam experimur insuper vim habere, non tantum corrobo-  
randi cor, sed & depurgandi balsamum vitalem. Nec negli-  
gimus externa, Topica dolorem lenientia, repellentia, &  
discutientia, qualia sunt: Ol. Ros. cum Opio. Item aq. re-  
frig. Nymph. Ros. Plantag. addito acet. paxill. Emplast. ab  
Holler. C. de arthrit. vbiq; prædicatum.

21. Pituita peccante simplici inijcimus Clysteres acres  
ex herb. Beton. Mercurial. Parietar. flor. Camomel. Sem. fœ-  
nic. Cymin. fol. Rutæ Centaur. addito Ol. rutac. Lil. mel  
Rosat,



Rosat. aut Mercur. & Hier comm. vel Lagod. aut Benedict.  
laxat. Clysterium enim hic magna est utilitas, si superiores  
articuli pituitoso succo infestentur, præsertim si opera detur,  
vt conuenienti modo & quantitate adhibeantur, *Aeginet. lib.*  
*1. c. 44. Ruff. Ephes. lib. de ves. & ven. affect.* Quibus affinia  
sunt suppositoria, quæ *Hip. de rat. vict.* glandes vocat. Infe-  
riores verò si magis ægrotauerint, vomitum præscribimus,  
imprimis assuetis, ex aq. tepida, cum Ol. Oliu. & pul. asari  
vel ex infus. Rubin. antimon. aut Sal vitri Rom. materiam  
quandoq; præparando Oxymel. ab Alexandro *Trall. lib. 11.*  
descripto, vel simpl. vel Scyllit. Syr. è Stæch. mell. ros. antho-  
fat. dissolutis in decocto, vel aq. still. herb. Hysop. Salu.  
menth. Stæch. Beton. herbæ Paralyf. Chamæd. Iuæ arthet.  
quæ tandem etiam educitur per os inferius Phlegmagogis.  
Agar, Turbith Pill. de Hermodact. de Hiera &c. quibus o-  
mnibus palmam præripiunt, extracta ex iisdem medicamen-  
tis debite præparata, & Aq. Benedicta, dicta D. D. Mylij  
præctici celeberrimi in Sil. quæ ex Hermodact. rubin. anti-  
mon. Fol. Sen. Alex. Rabarb. ex infus. tinctur. Chamæd. & vi-  
ni alcoolis conficitur. Topica applicamus ex decocto Origan.  
Melilot. Chamomil. vel cum spongia, vel alio modo, & eun-  
dem locum dolentem axung. human. vrsin. & Ol. Lumbric.  
in quo castor. dissolutum fouemus.

22. Pituitam salsam existentem eodem ferè modo tracta-  
bimus, Diaphoreticis & Diureticis commixtis vnde cum de-  
coct. Chamæd. Salu. Stæch. Amar. Rosmar. Acori Iuæ ar-  
thet. Cicerum, Rad. aperit. Sem. Melon. &c. propinamus  
destillat. lig. Guaiaci quod minus onerat ventriculum & su-  
dorem perfectius extrahit, quoniam substantia ligni propter  
soliditatem minus promptè corpus permeare potest, aut de-  
coct. Guaiaci addito Sassafras. cuius si non maior certè æ-  
qualis est cum Guaiaco efficacia, pituitam etiam crassam atte-  
nuandi



nuandi & viscidam incidendi, nec non abstergendi & ab infarctibus liberandi propter amaritiam putrediniq; resistendi. Miscemus interdum Spir. Vitrioli cum Sal. perlar. & Spir. Sulph. qui vehementer exsiccant, quorum alter etiam hoc habet amplius, vt non tantum balsamum, totius corporis, sed potissimum pectoris & cordis ab omnibus sordibus integrum præstet, & conseruet, Commendamus insuper Spir. Terebinth. Cypriat. aurei coloris debito vehiculo commixtum. & Tartar. Vitriolat. cum Gutta gummi, qui & in pituita crassa feliciter adhibetur, & Melancholico humore prædominante, quæ tamen alias crebris præparationibus ex potu decoct. lupuli, fumar. Scolopend. Cuscutæ Rad. Buglofs. flor. Genist. &c. & purgationibus, vt fol. Sen. Myrabolan. fol. Helleb. & interdum rad. eiusdem Pill. coch. cum Helleb. &c. efficacius verò Essent. Helleb. extract. Esul. Turpeth. mineral. florib. antimon. Aq. simp. igne extract. antimon. Diatart. solut. &c. tantum expugnamus.

23. Flatus discutimus Clysteribus, præmissis digerentibus & materiam educentibus, inunctionibus varijs ex oleis calidis, qualia sunt Ol. Castor. Aneth. Camom. Anisi, quod & in potu datur cum vehiculo tenui, veluti & carui & cumini et decoct. flor. Camomil. in vino Maluat. Malignitatem autem delemus Syr. de succ. Citr. granator. de succ. Card. Syr. de Corall. Magister. perlar. Corall. Hiacinth. quæ per erodentia menstrua aceto radicato, succo Limon. & spir. salis præparantur, & dum in salem reuerberantur, spir. Guaiaci aut acet. Terebinth. denuò imprægnantur, vt accessione Magisteria accommodatiora efficiant, Dn. D. Arnis. præceptore nostro honorando astipulante.

24. Palliativam curam molimur, interdum anodynis & narcoticis intus & foris adhibitis, ad quem scopum collimant vulgaria Præcipientium remedia, vt sunt Camphor. Pill. de  
Cyno



Cyno gloss. Phylon. Req. Nicol. & Opium tutissimè quod adhibetur, quod in magna Dosi Theriacam ingrediatur Matth. Epist. lib. 5. Valer. Cord. dispens. Lugdun. Quemadmodum etiam patet, si supputetur ipsius Dosis. Accedit quod vniuersa Asia, & Mauritania teste D. Garcia ab Horto hist. Arom. & simpl. Ind. lib. 1 c. 4. edit. Latina, quæ opera Caroli Clusij prodijt frequentissimè eo in victu vtatur, adeò, vt eo abstinentes periculum vitæ incurrant. Nec enim vis illa stupefaciendi, quæ inest Opio à frigore intensissimo producitur, sed à calore, siquidem sulphurea & oleosa inde elicitur substantia. Et assumpto Opio sudores mouentur, fitis excitatur, Venus stimulat, foetor plusquàm Mephiticus, & pruritus. percipitur. Matth. com. in lib. 4. Diosc. c. 60. Capivac. prax. lib. 7. c. 9. Adde quod insigni non caret amaritudine: quæ causæ erunt, quod *vapnós* causam tantum agnoscamus, tetrum illum odorem, qui neruis inimicus & contrarius, quasiq; appropriatus, non secus ac Castoreum vtero, interim tamen etiam aliquid occultum accedere. Laudanum tamen Opiatum, quod felicissimè adhiberi vidimus, & sulphur Vitrioli ad g. iij. iiij. v. vj. cum liquore conuenienti meritò præferimus, & balsamum hunc Chymicum partibus dolentibus à causa frigida inungimus, qui recipit Ol. Mandib. infer. vet. equor. tempest. diu expos. Ol. Off. human. ☉. & ♀. multis annis expos. & Ol. è sang. cerui mixtis & rectificat. additur Ol. Phil. Terebinth. Iunip. & destill. denuo in B. M.

25. Ad quam curam referimus illam, quando urgente necessitate fluxum in parte mandante detinemus, quod præstant tam interna, vt pill. paratæ ex mastich. thur. styrac. Bolo, Rasur. dent. apri Spic. Celt. Croco, additis gr. v. Opij cum Syr. de papau. Si duæ vel tres versus vesperam vel diluculum deglutiantur: quam externa medicamenta, si Salu. Maior Beton. Iua flor. Stach. Lauend. Rosmar. cum Agar



&c. in lixiuio sarmentor. vitis decoquatur, & caput eo ir-  
rigitur, aut Spir. vini non sine periculo lauatur, licet post ab-  
lutionem, ne propter humectationem humores fluxiles red-  
dantur, caput statim linteis calidis suffumigatis mastich. San-  
darach. succin. &c. abstergatur & pulueres postea capiti à  
nonnullis aspergantur, ex capitalibus, alijsq; siccantibus, vt  
sem. nigell. mastich. fol. salu. flor. Lauend. Rosmar. Amaraç.  
Thymi, Serpylli. Nos ex enumeratis herbis aridis concedi-  
mus fumum per fistulam argenteam aut figulinam, ore exce-  
ptum vt per nares humor excernatur, cerebrumq; exsiccetur.  
Tabacum aliàs vsitatum repudiantes.

26. Articuli, ne humores recipiant, in declinatione re-  
focillantur, irrigationibus, fomentationibus, inunctionibus  
&c. de quibus Pract. Omnibus tamen medicamentis præ-  
ferendæ Acidulæ, tum ob facilem earum vsum, tum ob illa-  
rum vim insignem humores serosos & destillationum ma-  
teriam per vrinas & sudores detergendi, renes & vias vrina-  
rias ab infarctu purgandi, interna viscera roborandi vi adstri-  
ctoria qua pollent maxima Holler. Balauſtia vino rubro, &  
austero incocta vsurpari suadet. Alij in aceruum vinaceo-  
rum ab vuis nigris expressis congestum dum efferuescendo  
calet, mane aliquoties pedes aut manus immergunt.

27. Tophi in articulis imminuuntur non tolluntur (tol-  
lere nodosam nescit Medicina podagram) fotu emollien-  
tium, vt decoct. ex cap. castrat. malu. lapat. pingued. gall.  
human. anser. Vrsi. Ol. de Euphor. ligni sanct. Caryophill.  
&c. Vide Plater. Leonin. &c. Hisce verò non succedentibus  
cum Hip. confugimus ad ferrum & ignem.

## Q V A E S T I O.

*Vtrum fontanelle in Arthritide adhibende?*





Clariss. & doctissimo viro,

**DN. MARTINO GOSKYO,**  
L. Sil. populari meo cariss. amico summè co-  
lendo, de arthritide, pro summo in arte medicâ gra-  
du consequendo, disputanti, *εὐχαριστίας* hæc  
paucula scribebam.



*GOSKYVS* vt quondam luētantem fortè podagram  
Legit non tolli posse medentis ope.  
Indoluit; medicamq; artem miseratus inermem,  
Nobile Phæbeæ texuit artis opus.

*Adduxitq; mali causas, legesq; medendi*  
*Explicuit veteres, explicuitq; nouas.*  
*Quid tibi pro tali reddemus munere GOSKY,*  
*GOSKY Slesiaci gloria magna soli?*  
*Candida mox magnum spargatur fama per orbem;*  
*Nota sit Eois, Hesperijsq; viris.*

FRIDERICVS IENCKIUS,  
Suebusiensis SIL.

F I N I S.





Clara & doctissimo viro

DM. MARTINO GOSKYO

I. ad populum meo caris. amico summo co-  
lato de archide pro summo in arte medica gra-  
du condecorato, dispensanti, in regno huc  
paulina scripsit.

ostendit de prouidantia substantiam forte potissimum  
Legit non tolli posse medicam opo-  
tissimum medicam, etiam in ista inueniam,  
Nobile P. habet tenet artu opo.



Altitudo mali casus, leges, medicandi

Explicit de rebus, explicitus noua.

Quid tibi pro tali redlemus munere GOSKY

GOSKY Stefani gloria magna solis

Candida vox magna spergetur fama per orbem;

Stefani Hof, Hoffmanni, vira.

FRIEDERICVS IENCKIVS

Suebicus, Sil.


F I N I S













Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

39

O MEDICA

ITIDE,

*auspice*

ESIDIO

SIGFRIDI,

ris & Profess. in Illu-

LIA Ordinarij,

tempore Decani

bilis,

*Mc 286a*

toris.

*signib. & Privileg.*

arte Medica,

in proponit

embr.

S GOSKIVS

SIVS.

STADI,

IACOBI LVCI,

Io cXII.